

84

abdominis macula oblonga pallida; alis fulvescenti-hyalinis, stigmatate fulvo-rufo, tegula nigra; tarsi anterioribus, femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigris; metathorace fere mutico. — ♀. (Long. 12—18 millim.).

Hab. in Uplandia, ubi feminas duas deprehendimus Past. HALLSTRÖM et *ipse*.

Hæc species medium quasi tenet inter *I. quæditorium* et *I. cessatorem*. Ab illo, præter alias notas, annulo antennarum deficiente et costa interiore areæ metathoracis dentiparæ fere recta, ab hoc pictura alba scutelli facile differt, ab ambobus autem antennis validioribus, articulo flagelli 7:mo jam quadrato.

74. **I. subreptorius** WESM. — Pag. 125.

*Obs.* Quum hæc species jam a Cel. GRAVENHORST sub nomine *I. submarginatus* descripta fuerit, nomen a Cel. WESMÆL impositum mutandum:

74. **I. submarginatus** GRAV.

GRAV. Ichn. Europ. I. 244. 78. ♀. — WESM. Rem. crit. 28. 78. ♀.

*I. subreptorius* WESM. Ichn. Miscel. 16. 10. ♀. — HOLMGR. Ichn. Suec. 125. 74. ♂ ♀.

75. **I. Mäklini** HOLMGR. — Pag. 127.

Hab. quoque prope Holmiam (G. DE VYLDER); in Westrogothia (N. E. FORSELL).

76. **I. Haglundi** HOLMGR. — Pag. 129.

In Jemtlandia feminam unicam detexit mecumque benevole communicavit Dom. O. GUINCHARD. Feminam quoque e Bothnia septentrionali accepi.

77. **I. gemellus** GRAV. — Pag. 131.

Hab. in Uplandia, certis annis sat frequens.